

gnum in re militari usum haberet, tot fortibus & claris bello viris, qui in ejus exercitu essent, præfici: neque id eos æquo animo laturos: itaque alia omnia cogitarent, se se nolle imperium cum invidiosum, tum suis majus viribus accipere.

Vanissa interim, quem Lemniacum profectum dixeramus, cum suis æquitibus aliisque perpaucis, qui sagittis utebantur, mane prædatum oppido egressus, in Veronæ finibus hostium Gallorum equites gravis armaturæ plus centum, levioris non plurimos, milites quatercentum natus, manum cum illis conseruit. Id dum fit, hostes unum ex ejus famulis captum nullo more jugulaverunt. quod Vanissa ubi vidit, suos cohortatus, uti eam necem vindicarent, ita acriter pugnavit, itaque eum sui acriter pugnantem imitari studuerunt, ut parvo temporis spatio globum hostium universum disjecerint, ex iis ceperint plus ducentos, quibus omnibus cervices absciderunt, nemine suorum, præter illum unum, desiderato. ea res magnum illi nomen apud omnem exercitum hostesque ipsos attulit. Alfonsus interea coactis cum militibus, tum naviculis, atque in eis tormentis levioribus impositis, Venetos, qui minorum in Rhodigianis finibus fluminum ripas custodiebant, depulit. Pauloque post, cum Gradonicus nihil non ab hostibus veritus Rhodigio reliquo se in tuta retulisset, oppidum vacuum recepit: tantusque fuit ejus rei terror, cum Galli magna cum manu adventare dicerentur; ut neque auxilia submissa ullo in loco consistere, neque Gritus legatus confidere, in quibus erat, castris auderet, omnesque omnibus a patribus se se Patavium Vicetiamque versus nullis hostium insequentibus tamen reciperent. Deliberatum est etiam domi, ut Patavium muniretur, tormentaque ac farinas & vinum Creticum magistratus eo mitterent, civesque in primis Venetos decem, qui urbem custodirent: tum ut reliqui commeatus pabulique copia in oppidum importaretur, cura adhibita. Datae quoque a Senatu literæ in Epirum ad suos magistratus, ut Thraces equites, quos possent, reipublicæ stipendio conscriberent,

Jade-

*Rhodigium
a Ferrarien-
ibus occu-
patur.*

*Nova mu-
nendi Pa-
tavii confi-
lia.*